DOCTRINA SANCTI EPHRŒM
DE
ECCLESIA CHRISTI

ܒܝܬ ܐܪ̈ܟܐ ܕܒܝܬ ܡܪܕܘܬܐ
Syriac Literature: Ephraim
Beth Mardutho Library


ܒܝܬ ܐܪ̈ܟܐ
ܕܡܣܝܢܐ ܡܠܦܢܐ ܐܒܪܗܡ ܢܘܪܐ ܐܘܪܗܝܐ

Ex Libris
Beth Mardutho Library
The Malphono Abrohom Nuro Collection



A Sa Sainteté, le Pape Jean XXIII
Souverain Pontife
Vicaire du Christ et Successeur de St. Pierre
Hommage respectueux et filial
« Dominus conservet Eum »
A l'occasion du 2e Concile Œcuménique du Vatican
Vœux sincères et souhaits cordiaux pour l'union de tous les chrétiens

Beyrouth le 6 août
1962



A Son Eminence, le Cardinal Ignace Gabriel Ier Tappouni
Patriarche Syrien d'Antioche
A l'occasion de son Jubilé épiscopal d'or
1912 — 14 septembre — 1962
et de son Jubilé sacerdotal de diamant
1902 — 9 novembre — 1962
Meilleurs souhaits — Ad multos annos !

✠ Grégoire Ephrem Jarjour
év. titu. de Larissa de Syrie
aux. pat.

PONTIFICIUM COLLEGIUM URBANUM
DE
PROPAGANDA FIDE

DOCTRINA SANCTI EPHRŒM
DE
ECCLESIA CHRISTI

Ephrem JARJOUR

Romae, 18 Junii 1922-1923

INTRODUCTIO

« Tu es Petrus et super hanc petram œdificabo Ecclesiam meam, et portœ inferi non prœvalebunt adversus eam.. » ...

Bis millibus ad hinc annis, ab ore divino verba hœc prolata fuerunt et transmissa de sœculo in sœculum et adhuc idem sonant, nihil de vi corum atque vigore amittentia, quasi hodie fuissent dicta, nam ad omnes populos, ad totam posteritatem, ad cunctaque secula directa sunt.

Ecclesia œdificata est, permanet et permanebit usque ad consummationem sœculi. Decursu sœculorum ortœ sunt persecutiones, heresiœ atque schismata sed « portœ inferi non prœvalebunt adversus eam ». Triumphans exiit Ecclesia Christi victoriis coronata, et adhuc triumphat et triumphabit. Hucusque et semper Regina ista erit[1] « stola aurea et calceis aureis induta » senectutis tempus nescit, juvenis permanet. De ista magna Ecclesia, cujus auctoritas ad omnes gentes extenditur et quæ tempus et spatium excludit, nobis sermo est. Eam considerabimus prout S. Ephrœm de ea loquitur. Juxta hujus Dectoris mentem exponendus est tractatus hic de Ecclesia Christi.

Claritatis causa tractationem hanc dividimus duplicem in partem quarum prima nobis exhibebit conceptum genericum Ecclesiæ et tripliciter dividitur :

I. — De transitu de Synagoga ad Ecclesiam.

II. — De notis Ecclesiœ.

III. — De denominationibus Ecclesiœ.

Et secunda nobis loquetur De Hierarchia in specie quæ dupliciter dividitur :

---

(1) Juxta illud abercii.

I. — De Petro atque ejus primatu et

II. — De cœteris pastoribus.

Cur autem Sanctum Ephrœmum potius quam alium Patrem vel Doctorem selegi, hoc fuit motivum quod S. Doctor Ephrœm nuperrime in clariorem lucem positus est, eum declarante Benedicto XV f. m., Universalis Ecclesiœ Doctorem, non solum sed etiam quia S. Ephrœm, inter Patres atque Doctores, Scriptoresque Syros prœcipuus est et, jure meritoque princeps habetur, tam propter eminentem ejus virtutem quam propter clarissimam doctrinam ; eo vel magis quod apud hœreticos hodiernos sive Monophisitas sive Nestorianos maxima gaudet celebritate et cultu. Et tandem propter amorem et devotionem erga Sanctum meum Patronum.

FONTES QUAS PRŒ MANIBUS HABUI

1° — *Rahmani.* « Hymni de virginitate », typis patriarcalibus in seminario Scharfensi de Monte Libano 1906.

Ejusdem. « Lettre pastorale sur S. Ephrem », Séminaire de Charfet 1921.

2° — *Assemani.* « S. Patris nostri Ephrœm Syri opera omnia quœ exstant grœce syriace et latine » Romœ 1737-43.

3° — *Lamy.* « S. Ephrœm Syri Hymni et sermones » Mechliniœ 1882-89.

4° — *Bickell.* « S. Ephrœmi Syri carmina Nisibena ». Lipsiœ 1866.

5° — *Vacant et Mangenot.* « Dictionnaire de théologie catholique » tome V, Paris 1913.

6° — *Tixeront.* « Histoire des dogmes dans l'antiquité chrétienne » Paris 1912.

Addenda sunt sequentia opera quœ prœ manibus habere non potui, quœ de S. Doctore sermonem habent et possunt consuli

1° — *Overbeck* « S. Ephrœmi Syri. Rabulœ, Balœi aliorumque opera selecta » Oxford 1865.

2° — *Eirainer* « der hl. Ephrœm der Syrer eine dogmengeschichtliche abdhandlung » Kempten 1889.

3° — *F. Burkitt* « Early eastern christianity », London 1904.

4° — *I. Lamy* « S. Ephrœm, dans l'Université Catholique » 1890 Tome III et IV.

PRŒNOTANDA

VITA ET OPERA SANCTI EPHRŒMI

Omnium Syrorum scriptorum merito princeps celabratur Sanctus Ephrœm, Doctor Universalis Ecclesiœ declaratus a Benedicto XV felicissimœ ac dulcissimœ memoriœ, per illas perpulcherrimas litteras encyclicas Principi «Apostolorum Petro», die 5 septembris anno 1920.

Monumenta ab ipso Doctore relicta, sive dogmatica, sive apologetica, sive ascetica, testantur sublimis ingenii acumen et profundissimam Rerum Divinarum contemplationem, Innumeras fere elucubrationes elegantissime atque doctissime composuit, sive soluta sive rithmica oratione, quœ tanta œstimatione habitœ sunt ut, cum S. Doctor inter vivos adhuc esset, teste S. Hieronymo[1] « post lectionem Scripturarum publice in quibusdam ecclesiis recitarentur ».

Scripta hœc S. Ephrœmi jam ab initio conversa fuerunt in grœcam primo, œgyptiacam, armenamque postea linguam. Opera solutœ orationis extenduntur ad commentaria in singulos tum Veteris tum Novi Testamenti libros, quœ ob temporum injurias non omnia ad nos usque pervenerunt. Rithmicœ vel metricœ orationis vero com plectuntur carmina divisa in plures collectiones, quarum notiores sunt de fide, de Ecclesia, adversus hœreses, de virginitate, de Domini dispensationis mysteriis, nativitate, baptismo, jejunio, etc... de azimis, de paradiso, de Nisibenis, de confessoribus, de rogationibus etc...[2] Excellentissimus Ignatius Ephrœm II *Rahmani*, patriarcha antiochenus Syrorum, in sua littera pastorali hœc habet : « Les historiens rapportent que le nombre des poèmes ou morceaux poétiques composés par S. Ephrem dépasse 12000[3] ». *Suzomenus*

---

(1) Catal. Script. 115.

(2) Rahmani, « Hymni de Virginitate ».

(3) Rahmani, « Lettre pastorale ».

autem addit : « Dicitur porro tricies centenas miriades carmimum, si omnia simul numerare velis conscripsisse[1] ».

Iste vero tam magnus vir natus est initio sœcul IV. Plures memoriœ nostrœ traditœ sunt vitœ S. Ephrœmi, nimirum ab *Assemani*, *Lamy*, *Bedjan* et aliis non minoris notœ auctoribus. Sed in hisce diversis vitis non tam facile est legendam a veritate distinguere ; tamen certum videtur S. Doctorem fuisse humilis conditionis, natum esse Nisibi, in Mesopotamia, initio sœculi IV, et orta postea persecutione persica, fugisse ab hac urbe ad *Edessam*, ubi ordinatus fuit remansitque tota sua vita diaconus, scripsitque opera sua quœ ipsi meruerunt ut titulo *Doctoris Universalis Ecclesiœ* ornaretur. Morte corruptus est, die 18 vel 19 junii juxta aliqua documenta anno 373, juxta autem Martyrologium Romanum die 1 februarii et Syri festum ejus celebrant die 28 januarii[2]. Sed *Benedictus* XV f. m. in suis litteris encyclicis die 5 sept. 1920 « Principi Apostolorum Petro » et in decreto suo Urbis et Orbis assignavit diem 18 junii pro die festi S. Doctoris et Diaconi Edesseni Ephrœmi Syri. Hinc « *Roma Locuta est* ».

(1) Suz. hist. eccles. lib. III, 15.

(2) Dictionnaire de théologie catholique Tom. V p. 188.

PARS PRIMA

GENERICUS CONCEPTUS ECCLESIŒ

In hac prima parte videamus quomodo Doctor noster nobis prœsentat Ecclesiam, scilicet *primo* de transitu de synagoga ad Ecclesiam. S. Ephrœm ostendit *typos figurasque Veteris Testamenti* fuisse ordinatos ad *Novum*, synagogam abolitam fuisse statim ac orta fuit Ecclesia ; Christum antitypum venisse et instituisse Ecclesiam ; Christum constituisse suam Ecclesiam per Apostolos ; Christum maximo amore prosecutum esse Ecclesiam ; Ecclesiam destinatam esse ut propagaretur ad fines terrarum, omnesque populos ad eam venturos esse :

Secundo Diaconus Edessenus clarissime loquitur de notis Ecclesiœ nimirum : Sanctitate, unitate, apostolicitate et catholicitate Ecclesiœ Christi.

Tertio vero Doctor Nisibenus vocat Ecclesiam diversis denominationibus, hoc est : Ecclesia est sponsa Christi et domus Dei ; doctrix, conservatrix, vindicatrix veritatis et distributrix veritatis et gratiœ : indefectibilis, a christo accepit potestatem solvendi et ligandi, portœ inferi non prœvalebunt adversus eam ; quœ requiruntur ut quis sit de Ecclesia, hoc ultimum erit appendix additur huic primœ parti, et ita solvemus, Deo juvante, genericum conceptum Ecclesiœ, eo modo quo S. Ephrœm in mente sua habuit et docuit sive verbis sive scriptis.

I — Transitus de Synagoga ad Ecclesiam

Primo : S. Ephrœm ostendit typos figurasque Veteris Testamenti fuisse ordinatos ad Novum et Synrgogam abolitam fuisse statim ac Ecclesia orta est. Hoc sane multis in locis apparet ; ita S. Ephrœm se exprimit :

« In adventu solis nostri ministerium suum prœstiterunt et

transierunt lucernœ ; evanuerunt typi et figuræ ; circumcisione occulta soluta est circumcisio manifesta. Testamentum Moysi Evangelium expectabat : Vetus velut alis translatum requievit in Novo Testamento. Mare quippe est Christus qui potest in se assumere fontes, scaturigines, flumina fluctusque e Scripturis erumpentes. Ad quem vis inflectere Scripturas, cui exploratum sit eas convenire ? Nisi ad Christum in sua persona.

Christus est enim qui adimplet omnes earum figuras in sua cruce, omnes typos in suo corpore, omnia earum ornamenta in sua pulchritudine, atque universa in se toto. Veni (lingua mea) ad figuras, cerne eas coactas ut ad Christum perveniant ; quia a populo male habitœ sunt, a populis possidentur. Amore siluerunt figurœ videntes veritatem advenisse. Benedictus qui Scripturas suis figuris replevit et suis typis prœfiguratus est[1] ». In hoc testimonio mens S. Ephrœmi est lucidissima, optime ostendit quod synagoga fuit abolita, typique et figurœ evanuerunt in adventu solis nostri qui est Christus sol justitiœ et veritatis. Vetus requievit in Novo Testamento. Christus adimplet omnes typos, omnes figuras[2], omniaque ornamenta atque universa in se toto. Sed adhuc exstant alia perpulcherrima testimonia, Selegamus illud S. Ephrœmi commentarium in Isaïam ; omnia afferre non possum, alioquin tractatus finem non haberet, pauca affero et meliora :

« *Sioni veniet salvator*[3] » « scilicet zorobabel. Sion autem spiritualis et collis visionum seu revelationum Ecclesia est. Salvator autem qui ad eam veniet, est Christus, Zorobabel ille magnus ».

Cap. LX.1 « *Surge, illuminare, quia venit lumen tuum* »,

« Hœc sectio (dicit S. Ephrœm) respicit Ecclesiam quœ destruit et deprimit errores. Surge, illuminare, quœ sedisti in tenebris quia venit Christus illuminator tuus, et majestas Domini super te revelabitur » ; porro intelligas promissiones terrenas synagogœ

---

(1) Lamy volum IV. pag. 498.

(2) Aliis verbis Christus est antitypus.

(3) Is. LIX.20 pro furcono i. e. salus, legendum esse foruco i. e. salvator, cum versione simplici contextus probat.

abolitœ factas, figuram esse rerum spiritualium Ecclesiœ promissarum [1] ».

Quanta in his verbis sapientia velatur !... Sunt verba commentario non indigentia quia clara sunt, eo vel magis sunt commentarium in Isaïam ; quid ?... Commentarium facere debeo commentarii ?...

Ultimum testimonium desumitur ex sermone S. Diaconi Edesseni in Transfigurationem Domini ; ita sonat :

« ... Cœterum videbant *prophetœ apostolos*, et *apastoli prophetas*. Videbant ibi se mutuo, principes Veteris, primores Novi Testamenti. Videbat Moyses sanctus Simonem sanctificatum. Videbat Œconomus Patris procuratorem Dei. Videbat Virgo veteris virginem novi, Elias Joannem : Ascendens in currum ignis, recumbentem supra pectus flammœ ; et factus est mons in figuram Ecclesiœ, et conjunxit in se ipso Jesus duo Testamenta, quœ recipit Ecclesia. Manifestavit nobis se esse utriusque largitorem. Alterum accepit mysteria ipsius, alterum manifestavit gloriam factorum ejus [2] ». Quam pulchra est doctrina ista ! ... optime probat Vetus Testamentum ordinatum ess ad Novum, et in illa gloriosa transfiguratione Christi in Thabor apparuerunt simul Vetus et Novum, in signum unionis; mons autem ille erat figura Ecclesiœ quœ recepit utrumque Testamentum. Stat igitur quod juxta S. Ephrœm, typi figurœque *Veteris Testamenti* fuerunt *ordinati* ad *Novum* et synagoga abolita fuit statim ac orta fuit Ecclesia.

Sccundo : S. Ephrœm probare vult christum antytipum venisse et instituisse Ecclesiam — andiamus verba ejus :

« Sponsus Cœlestis fregit Ecclesiœ sanctœ corpus suum vivum, cui miscuit sanguinem suum propitiatorium quod cruce vivifica signavit. Ecclesiam constituit atque firmavit per fidem orthodoxam. Ipsa nunc celebrat nomen ejus, quia passus est pro ea eamque ab errore salvavit per mortem suam... Vigiles laudes cantant in die

---

(1) Lamy II, p. 172.

(2) Assemani. Tom. II grœce et latine pag. 425.

nuptiarnm tuarum, O Sancta Ecclesia, et angeli oribus dulcibus psallunt Patri abscondito, qui suo amore ineffabili misit ad te Filium suum dilectum et ejus sanguine in cruce effuso scripsit libellum dotis... Gloria Patri qui prophetia obsiguavit Ecclesiam sanctam; Adoratio Filio ejus Christo qui perfecit eam camque per apostolos constituit ; laus Spiritui qui mundavit et purificavit eam et reges impulit, ut in die instaurationis ejus offerent munera laudesque Filio Regis *qui absolvit fundamenia ejus*[1] ».

Bene S. Diaconus ostendit institutionem Ecclesiœ ab ipso christo, in testimonio allato; nam dicit: Ecclesiam constituit atque firmavit ... et Pater misit ad Ecclesiam Filium suum qui absolvit fundamenta ejus. Quid amplius requirimus ?... Sunt alia etiam testimonia quœ omitto brevitatis amore atque ut patientia lectoris non abutarer.

Tertio : S. Doctor asserit Christum Suam Ecclesiam constituisse per Apostolos et hoc apparet quando dicit in testimonio supra allato :

« ... eamque per Apostolos constituit ». et in suo commentario super Isaïam cap. 60, vers 4 « Filii tui de longe venient et filiœ tuœ super humeros portabuntur[2] » ita dicit : « ... congregavit autem Evangelium Christi (populos errantes) illis prœdicatum per sanctos apostolos, qui eos suis veluti humeris portarunt et introduxerunt in canlam Ecclesiæ eorum matris ». Ergo Evangelium Christi debet[3] prœdicari per sanctos apostolos. Sed adhuc est magis explicitus quando commentans illa verba quœ leguntur in cap. 61 vers. 6 « Vos autem sacerdotes Domini vocamini et ministri Dei » ita se exprimit :

« Hoc dicit quia cessaverat sacerdotium corum per septuaginta annos. Convenit autem Ecclesiœ e gentibus collectœ, quia, postquam incarnatus est et providentialiter Spiritu Sancto unctus est

(1) Lamy III, p. 966.

(2) Verba « super humeros portabuntur » desunt in vers. simplici et in hebrœo adduntur e vers. LXX.

(3) melius debuit.

in baptismo in Jordane œgrotosque sanavit et contritos corde confortavlt ac libertatem prœdicavit atque remissionem peccatorum largitus est, constituit intra Ecclesiam e gentibus collectam sacerdotes et œconomos et dixit ad eos : vos vocabinimi : sacerdotes Domini opes gentium comedetis, oblationes eorum et sacrificia ». Quinam sunt isti sacerdotes et œconomi ? ... Certe sunt Apostoli et successores eorum qui constitunntur super gentes, sunt rectores populorum sicut apparet etiam clarius in sequentibus ejus verbis, commentans ista Isaïœ verba cap. 62 vers. 5 « quia sicut adolescens virginem uxorem ducit, ita filii tui te requirent ». « Filios Ecclesiœ Apostolos, sacerdotes et justos appellat, qui constitunnt caput corporis Ecclesiœ sicut maritus caput est mulieris. Hi velut mariti sunt Ecclesiœ per doctrinam suam et constanter ei filios spirituales generant. Dixit enim David de Ecclesia et apostolis : « Pro Patribus tuis » populi errantes. « Erunt tibi filii tui » seu *apostoli.* Et ad Dominum convertens sermonem, spiritus psalmistœ de apostolis, Ecclesiœ filiis ait : « Fac eos principes super omnem terram, ut prœdicetur per eos nomen meum in generationem et generationem[1] ». Et in vers. 6 « Super muros tuos Jerusalem constitui custodes. » ita dicit S. Ephrœm : « Istius Jerusalem populi Israelitici custodes fuerunt prophetœ et justi, Jerusalem autem spiritualis seu Ecclesiœ sanctœ custodes et rectores a Deo constituti sunt summi sacerdotes et sacerdotes » et in vers. 10 « Transite, transite, restituite viam populo, terite semitas, purgate lapides », commentat S. Ephrœm ista verba sic : « Retributio est Edomitarum eo quod dixerint : nudate, usque ad fundamentum in ea. Respicit etiam hic locus prœpositos Ecclesiœ quibus creditum est verbum salutis ; quia verbum Dei eis mandat ut ostendant populo viam veritatis, ut terant semitas salutis, solvant et extinguant omne verbum scandali et perturbationis[2] ». Apparet ergo Christum per apostolos constituisse Ecclesiam suam, nam loquitur de *summis sacerdotibus* et *sacerdotibus*, de *prœpositis Ecclesiœe*, immo de *apostolis et sacerdotibus* qui *constituunt caput corporis Ecclesiœ.*

Jamvero quid S. Doctor sibi vult per hoec omnia nisi hoc quod christus nempe, elegit apostolos et ipsis credidit doctrinam suam

(1) psalmus XLIV. 17-18.

(2) Lamy, II p. 172.

ipsosque prœposuit super gregem et ita constituit Ecclesiam per apostolos electos — Quis dicet : Sed S. Ephrœm non loquitur de Apostolis ab Ipsomet Christo electis et per quos constituta est Ecclesia, sed loquitur in genere de sacerdotibus et apostolis et prœpositis Ecclesiœ, longe sumus a conclusione tua. — Carissime, attendas : primo Christus, dicit S. Ephrœm, constituit intra Ecclesiam apostolos et hoc explicitis verbis sicut audisti, secundo S. Ephrœm utique loquitur aliquando generice de apostolis qui Ecclesiam gubernant, sed isti sunt successores ipsorum apostolorum nam dicit quod debent solvere, debent ostendere viam salutis et veritatis, doctrina christi eis credita est ; et quid aliud Christus dixerat suis apostolis nisi hoc idem ?... « Euntes, docete omnes gentes... cujus enim remiseritis peccata remittam ei », et... « Cujus retinueritis peccata etiam apud me retenta erunt ». et deinde « Ego vobiscum sum usque ad consummationem sœculi » Apostoli autem in œternum inter vivos esse non poterant, ergo christus usque ad consummationem sœculi erit cum successoribus apostolorum. Ergo firmiter stat doctrina S. Ephrœmi : *christum constituisse suam Ecclesiam per apostolos.*

Quarto : S. Ephrœm demonstrat *christum maximo amore prosecutum esse Ecclesiam.* En verba ejus :

« Son corps s'est uni de nouveau à nos corps, son sang très pur a coulé dans nos veines, et parce qu'il a *beaucoup aimé son Eglise*, il ne lui a pas donné la manne de la synagogue mais il s'est fait lui-même le pain de vie pour sa nourriture[1] ». Sunt verba sat clara uti mihi videtur, « amavit multum suam Ecclesiam ... » In cap. 16 Isaïœ, vers. 10 « Valde delectabor in Domino » ita se exprimit S. Ephrœm : « Hoc dicit de Ecclesia quœ delectatur in Domino. Delectamentum autem in Domino Ecclesiœ datum, sacramentum est sancti ejus corporis. « Et exultabit anima mea in Deo ». Hoc ipsum est quod Ecclesiœ ejus contigit, exultatio scilicet, oblectamentum et lœtitia spiritus. Exultat Ecclesia in Deo suo, quia « induit me vestimento salutis », id est stola gloriœ baptismi ; illa quippe est verum salutis vestimentum et candida gloriœ stola. « Et fecit me tanquam spousum gloriosum » per absolutionem.

(1) Rahmani « Lettre pastorale » pag. 14.

« Et tanquam sponsam ornatam ». Sponsa Ecclesiæ est quœ exornata est pulchritudine omnium populorum. Ornamenta autem quœ Ecclesiam exornant sunt hoec : puritas, innocentia, sanctitas, honestas, jucunditas, mansuetudo, pacis amor humilitas, misericordia et his similia[1] ».

Ex hoc testimonto apparet omnina clara, fulgidaqne caritas Christi erga Ecclesiam suam, nam Ecclesia delectatur in Domino, exultat in Deo quia induit eam stolam gloriœ baptismi, eamque candidam tanquan sponsum gloriosum et sponsam ornatam... Jamvero quid dicunt, nisi amorem maximum Christi erga sponsam suam ?... adhuc ultimum testimonium : In Isaïa 60, vers, 7 legimus « Et domum gloriœ meœ gloriosam reddam ». ita prosequitur S. Doctor : « Quod gloria novissima prœstabit gloriœ primœ hoc etiam Ecclesiœ convenit. Ipsa quippe vere domus est gloriœ Dei[2] ». Quanta gloria circumdatur Ecclesia !... Quantus amor infinitus !... stat igitur doctrina S. Ephrœmi *christum nimirum maximo amore prosecutum esse Ecclesiam*[3]. Transeamus ad alind :

Quinto : S. Diaconus Edessenus probare vult *Ecclesiam destinatam esse ut propagetur ad fines terrarum, omnesque popnlos ad eam venturos esse.* Videamus quod dicit ; commentat verba Isaïœ cap. 60 vers. 4-5 « Filii tui de longe venient et filiœ tuœ super humeros portabuntur. Super grabatis nutrientur. Tunc gaudebis et illuminaberis et videbis et dilatabitur cor tuum ». En nunc verba S. Doctoris : « Hoc dicit de justis Synagogœ, qui ex *omnibus finibus congregantur* et veniunt ad eam : in figura autem designantur filii Ecclesiœ sanctœ, populi, inquam, errantes, qui longe erant et valde remoti a Deo ; congregant autem Evangelium Christi illis prœdicatum per sanctos apostolos, qui eos suis veluti humeris portarunt et introduxerunt in caulam Ecclesiœ eorum matris[4] ».

---

(1) Lamy, II p. 172.

(2) Ibidem.

(3) In Lamy I, p. 542 legimus perpulcherrima verba : « Ecclesiam dilexit et appellavit eam montem suum montem Sion in veritate. Pro illo sione reprobo elegit Ecclesiam in qua sibi complacuit, œdificavit eam super montem sanctum qui est mons beneplaciti sui, et in terra in perpetuum constituit altare sanctum intra Ecclesiam ! !

(4) Lamy, II p. 172.

Est perclarissimum testimomium ; S. Diaconus loquitur de justis qui congregantur ad eam nempe synagogam ex omnibus finibus terrœ et dicit hoc esse figuram Ecclesiœ quœ congregare debit populos errantes, per Evangelium Christi et ita sese extendere, transiendo maria et oceanos ad terminos terrarum. Quid addam amplius ?... Altera testimonia jam supra retuli implicite sicut illud « Sponsa Ecclesia est quœ exornata est pulchritudine omnium populorum... » et alia similia ; ad aliud transeamus[1].

II — De notis Ecclesiœ

Nunc videndum nobis est quomodo sermomem habeat Sanctus Ephrem de notis Ecclesiœ, nimirum de sanctitate, unitate, apostolicitate et catholicitate.

Primo : de sanctitate — S. Ephrœm sœpe sœpius vocat Ecclesiam sanctam, sed in suo testamento habet aliqua, quasi ex professo, de sanctitate Ecclesiœ. Verba ejus ita sonant :

« ... Benedictus Electus, qui catholicam suam elegit Ecclesiam, veluti *sanctam agnam*, quam lupus corruptor non contrivit ; et veluti *immaculatam* columbam, quam non est assequutus, qui eam persequebatur, ut elideret (ps. 74) astutus et callidus venator accipiter...[2] ». En igirur quomodo S. Ephrœm sibi reprœsentat sanctitatem Ecclesiœ, nimirum vocando eam « *sanctan agnam* » et « *immacvlatam columbam* » nonne vobis videtur S. Ephrœmum velle significare per hœc verba sanctitatem principiorum in Ecclesia ?... Quid aliud, per sanctam agnam figuratur nisi humilitas, innocentia et mansuetudo et aliœ virtutes quœ in sola doctrina Ecélesiœ continentur ?... Quid per tmmaculatam columbam nisi simplicitas puritas atque sanctitas doctrinœ Ecclesiœ ?... Et in alio loco, describens solemnitatem festi crucis, dicit hœc verba » : Hœc vero quum peraguntur, tunc in cœlis gaudium, et in Ecclesia

(1) Peracto transitu de synagoga ad Ecclesiam, Cognoscere debenum istam Ecclesiam a Christo institutam. Quamodo coquoscitur ? sane per notas hinc...

(2) Assemani, II, grœce et latine, p. 242.

exhaltatio fit quœ *justos omnes* convocat[1] « ...En *sanctitas membrorum* » « *Justos omnes convocat* ».

Secundo : de unitate. Audiamus S. Diaconum :

« ... O medice, monstra sapientiam tuam in membris meis, et ea quœ abscissa sunt a corpore meo, *rursus compone* et *infige ei*, ita ut spectatores, ea omnino *nunquam abscissa* fuisse existiment ! Pro me quoque misero, ora, o Ecclesia, ut, qui dolui ob divisionem tuam, gaudeam ob *compositionem tuam*, et tecum in regnum cœlorum post te ingrediar[2] ! ». Adhuc :

« ... Oro te, Domine, ne similiter facias in diebus nostris ; si enim radix amara suscipit dulcem, qua inseritur in eam, et ambœ concordant, quamquam inœquales sunt, quanto facilius est, Domine, hominibus, qui sui ipsorum potestatem habent, neque, ut cœterœ creaturœ, naturali necessitate subjecti sunt, ut *revertantur et unum* fiant, et ut lapsus oret et *consistens* fulciat eum ! Si enim bestiœ, puellos, qui naturœ earum valde dissimiles sunt, recipiunt, diligunt, et lactitant, et quando moriuntur, dolorem suum clamoribus testantur, nos quoque decet, esse similes angelis, Domine, qui gaudent de pœnitentibus ; si enim nunc non contristata essem[3], valde reprehendenda essem, quod ego, mater *misericordiœ expers* inter angelos numerarer... Fiant rami eorum portus avibus defatigatis longinquitate itineris, quœ veniunt, ut psallant tibi gloriam carminibns et cantilenis David[4] ! » Tandem : « Domine, fac pacem in diebus nostris in Ecclesiis tuis ; depelle ab eis schismata et contentiones, pacifica et pasce contendentes ut sit *una Ecclesia* orthodoxa et congregentur filii ejus justi in sinu illius et laudent bonitatem tuam. Gloria essentiœ tuœ[5] ».

Amplius dici non potest de unitate Ecclesiœ, neque melius

(1) ibid. p. 247.

(2) Bickell — « Carmina nisibena » p. 121.

(3) Loquitur S. Doctor in persona Eccleaiæ Edessenœ.

(4) Bickell, op. cit. pag. 134.

(5) Lamy IV p. 720.

neque clarius, In principio S. Ephrœm loquitur de Ecclesia Edessena et orat ut illa Ecclesia per schisma delapsa, ad unitatem revertatur, et pergit postea orans pro paganis Haranitis ne Deus permittat eos in idololatria permanere sed revertantur ad Ecclesiam. In istis omnibus S. Ephrœmi verbis apparet triplex unitas, regiminis nempe, communionis et etiam fidei — unitas regiminis et communionis quando orat ut Deus depellat ab Ecclesiis schismata et contentiones quibus amittitur ista unitas, et etiam vult ut « revertantur et unum fiant » homines abscissi, membra illa a corpore abscissa ut componantur et infigantur corpori rursus ut sit una sola Ecclesia, et adhibet pulchram illam similitudinem radicis amarœ suscipientis dulcem... et ambœ concordant, et dicit quanto facilius homines, qui non sunt subjecti ut cœterœ creaturœ naturali necessitate, debeant unum fieri, ergo loquitur de unitate regiminis qua omnia membra capiti subjecta sunt et de unitate communionis ut Ecclesiœ omnes pacem habeant et ut a Deo pacificentur et pascantur ; et tandem de unitate fidei qua omnia membra eamdem doctrinam profitentur, nam dicit « *ut sit una Ecclesia orthodoxa* » ... et ut « *lapsus* oret et *consistens* fulciat eum » quomodo autem Ecclesia una et orthodoxa esse potest si non gaudeat unitate fidei doctrinœque? si Ecclesia est consistens ut fulciat lapsum, quo lumine eum fulcire valet nisi lumine unico fidei ? unum esse debet lumen doctrinœ catholicœ, non multiplex, et irradiari debet ab ipsa Ecclesia quœ non mutatur et propterea quod consistens vocatur a S. Ephrœm et lapsum fulcire debet, gaudere debet unitate fidei et doctrinœ, insuper S. Ephrœm optimam similitudinem adhibet, ad probandum quod Ecclesia debet docere fidem et gaudere de pœnitentibus id est hœreticis qui convertuntur ; dicit quod si bestiœ puellos qui naturœ earum valde dissimiles sunt, *recipiunt*, *diligunt* et *lactitant* et quando moriuntur, dolorem suum clamoribus testantur, multo magis decet nos esse angelis similes gaudentibus de pœnitenibus, eos nempe *recipere* debemus, *diligere* et *lactitare*, quando dicit « nos debemus hoc facere » intelligere debemus Ecclesiam catholicam, nam sermo est in contextu de Ecclesia ; significare vult « nos catholici qui ad Ecclesiam pertinemus ». Quomodo vero Ecclesia diligere debet hœreticos, quonam lacte lactitare, nisi *lacte fidei*, amissœ ab ipsis et quam amplecti rursus debent ? nam una esse debet, fides, et hœc unitas fidei apud Ecclesiam residet, quam communicare debet eis qui eam amiserunt,

et si proh ! dolor, sine fide hœretici moriuntur, Ecclesia dolorem suum clamoribus testatur.

Tertio : De apostolicitate. Audiamus nunc quid sentiat S. Ephrœm circa hanc tertiam notam Ecclesiœ :

« *Oriens* ab eis (loquitur de apostolis) illuminatus est, *Occidens* ab eis resplenduit ; septentrio per eos surrexit, meridies per eos edoctus est ; ascendentes aperuerunt firmamentum ; descendentes mare exploraverunt ; apostoli mysterium fidei suis symbolis manifestarunt, inter omnes sparserunt, quocumque extenderunt, inter creaturas ut fide roborarentur amplexi sunt[1] ». Claris verbis S. Ephrœm ostendit apostolicitatem originis Ecclesiœ, dicens orientem et occidentem, septentrionem et meridiem ab ipsis apostolis fidem accepisse, inter omnes mysterium fidei sparsisse, amplexosque esse omnes creaturas ut fide roborarentur. Ergo Evangelium prœdicatum fuit ab initio ab ipsis apostolis, Ecclesia est apostolica apostolicitate originis. Adhuc alia testimonia.

« *Les douze Apôtres* furent les laboureurs qui travaillèrent l'univers tout entier et cependant nulle ville, nul pays ne porte leur nom. Après leur mort, la zizanie (i.e. les hérétiques) a poussé ; elle a donné son nom au blé ; mais au temps de la moisson elle sera déracinée... Mes frères la Sainte Eglise a en horreur les noms des Sabellius, Arius et autres qui se sont séparés d'Elle... L'Eglise des peuples était constituée avant la ruine du temple d'Israël et c'est là que fut établie l'Eglise. Marcion n'y a point contribué car il n'était pas encore né ; ni Arius, ni Manès, ni Bardessane n'y entrèrent[2] ».

Testimonium hoc probat apostolicitatem originis et regiminis Ecclesiœ, originis dicens quod ipsi duodecim apostoli universum araverunt, et Zizania orta est nempe hœretici, Sabellius, Arius, Manès, Marcion et Bardessane qui nomen suum dederunt frumento, sed in vanum, nam Zizania separata erit tempore messis, Et Ecclesia jam erat ante quam ipsi nati sint, Ecclesia, aliis verbis, est ab

---

(1) Lamy IV p. 708.

(2) Rahmani « Lettre pastorale » p, 21.

apostolica origine, non solum sed ab *apostolica regimine* etiam nam, si Ecclesia est ab apostolis et perdurat ad nos usque, et isti hœretici venerunt postea; nullius momenti sunt ergo, siquidem tempore messis erunt a radice abscissi, sequitur quod Ecclesia in quarto sœculo in quo S. Diaconus scribebat contra hœreticos, nihil aliud erat nisi continuatio illius primitivœ Ecclesiœ apostolicœ originis, immo erit semper continuatio apostolicœ Ecclesiœ, usque ad messis tempus, mimirum ad consummationem sœculi, quando Zizania vel hœretici separabuntur a frumento nempe Ecclesia catholica ; quid melius dicere poterat S. Doctor ? ... Transeamus nunc, omittendo alia testimonia, ad quartam notam.

Quarto : De catholicitate Christi Ecclesiœ.

Prœter testimonia relata supra pro apostolicitate Ecclesiœ et quœ optime valent pro catholicitate, cito aliud testimonium, ut alia pretermittam, brevitatis causa :

« La pierre aperçue par Daniel s'est répandue par toute la terre et la nuée que vit Elie s'est développée ; elle devient *une figure de l'Evangile prêché à toutes les nations.* Elle s'est répandue en une pluie abondante qui a calmé la soif *des peuples*[1] ». Ex hoc testimonio inferre possumus duplicem catholicitatem, juris et facti-juris nam Ecclesia jam prœdestinata erat et prœfigurata in Vetere Testamento ; *facti*, nam illa petra sparsa per totum orbem, et illa nubes quœ sese extendit sunt figurœ Ecclesiæ extensœ ad omnes nationes. Puto quod si collegium Urbanum de « Propaganda Fide » extitisset tempore quo vixerat S. Ephrœm, non dubitasset afferre pro argumento catholicitatis Ecclesiœ, hoc ipsum collegium tanquam perpulcherrimum argumentum ! ...

Tanquam compendium omnium quœ de notis asserit S. Ephrœm, affero hic, testimonium quod in se solo continet quattuor notas simul, et quod scriptum legimus in suo testamento, quasi vellet tradere ad posteritatem, dum spiritum redderet, illam puram fidem quam confessus est tota sua vita, et ut ostenderet eum mori in illa : « ... Si quis vero dubitaverit, aut contra Deum, sanctamque

---

(1) Rahmani, « lettre pastorale », p. 20.

ejus Ecclesiam impingens ac diffluens, separatus fuerit ; spirans adhuc et vivus in infernum detrudatur, et particeps hœreditatis maledictionis Caïn reddatur, gemensque ac tremens sit super terram... Et si quis adversus catholicam Ecclesiam sese extulerit, leprosus fiat, instar dementis ac stulti Giezi. Quam enim ego accepi fidem, hanc a *Sanctis didici, Apostolis* : ipsique quum eam a Deo accepissent omni creaturœ prœdicarunt[1] ».

Sunt verba lucidissima omnino, ac quasi S. Ephrœm in concilio loquitur aut ex cathedra, aliis verbis dicit plus minusve ita : « Si quis... Anathema sit ! « Quadruplicem asserit notam Ecclesiœ :

1°. *unitatem* dicens quod ille qui separatus fuerit ab Ecclesia vel sese extulerit contra eam, in infernum detrudatur, ergo salus est in *una sola* Ecclesia quam vocat sanctam atque catholicam.

2°. *Sanctitatem* nam si salus habetur in una sola Ecclesia, sequitur inde quod debet esse sancta et habere media sancta ad salutem et etiam S. Ephrœm aperte vocat eam sanctam.

3°. *Catholicitatem* nam omni creaturœ apostoli hanc fidem prœdicarunt ; quid clarius ?...

4°. *Apostolocitatem* quia dicit se hanc fidem vel doctrinam ab apostolis didicisse « a Sanctis didici apostolis » quanta simplicitas et humilitas in tribus his verbis !... ergo hœc fides quam credit non est inventa ab eo sed apostolicœ originis est. Si S. Ephrœm nihil aliud memoriœ nostrœ tradidisset, hoc solum satis esset quod, moriens, credit firmiter in *unam*, *sanctam*, *catholicam* et *apostolicam* Ecclesiam.

III — Denominationes Ecclesiœ

Nunc venit tertia questio nempe de qualificativis vel denominationibus Ecclesiœ. Sed notandum est quod multa testimonia prœsto mihi sunt, et simul brevitas tractatus etiam urget, quamobrem pro unoquoque puncto in hac tertia questione rogo lectores

---

(1) Assemani, II g. l. p. 243.

ut contenti sint de uno solo testimonio. S. Ephrœm contendit quod :

Primo : Ecclesia est sponsa Christi et domus Dei — en verba ejus :

« Beata es Ecclesia, quia in convivio tuo angeli jubilant et gloriam canunt, homines laudant, dœmones tristitia operiuntur ; *Sponsus coelestis* dedit tibi corpus suum. quo filii tui sanctificantur... Beata es Ecclesia, quia rex, *qui te sibi desponsavit*, passione sua te purificavit, sanguine suo te salvavit, cruce sua *nuptias tibi fecit*[1] ». Apparet ergo Ecclesiam esse sponsam Christi, et hoc juxta doctrinam catholicam, et omnes Patres, in hac re concordes sunt cum S. Ephrœm. Quod Ecclesia sit *domus Dei* apparet ex testimonio sequenti :

« Non enim Dominus Deus diversitates fecit aut locum loco prœlegit, sed ita inquit : « Ubicumque sunt in nomine mei congregati[2] » ; hoc est in solitudine, et in montibus, vel in speluncis, vel in *quocumque loco dominationis* meœ, « ibi sum in medio eorum », et *cum ipsis ero* usque ad consummationem sœculi, et in futuro sœculo, pascam eos in sempiternum[3] ». En domus Dei, omnis locus dominationis suœ ; ubi dominat Christus nisi in Ecclesia ? nam Christus ipse dicit « Euntes docete omnes gentes... ego vobiscum sum usque ad consummationem sœculi » Ergo Deus est semper in Ecclesia, ergo Ecclesia est vera *domus Dei.*

Secuudo : Ecclesia est *doctrix, conservatrix* et *vindicatrix* veritatis ac *distributrix veritatis et gratiœ.*

Juxta S. Doctorem Ecclesia christi docet plenam veritatem et conservat veritatem prœsertim S. Scripturam, necnon vindicat contra hœreticos omnem veritatem, et tandem distribuit veritatem et gratiam, quœ doctrina omnino sana est et conformis doctrinœ orthodoxœ docenti Ecclesiam possidere solam veritatem et eam

---

(1) Lamy IV, p. 584 — conf. Assemani III s. I, p. 498. A. — Rahmani « let. p. » p. 11.

(2) Math. 18.

(3) Assemani II g. l. 205 C. D.

proponere fidelibus per magisterium suum, et quotidie contra lupos voraces vindicatricem stare ejusdem veritatis atque simul cum veritate gratiam distribuere docet scilicet et sanctificat, mentes illuminat et voluntates roborat ; exinde intueri possumus, Veritatem inter et gratiam mirabilem nexum... Accedamus ergo ad fontem et doctrinam hanc exhauriamus simpliciter legendo S. Ephrœm :

Ecclesia est doctrix veritatis : « ... Si tristem quisque miseratur casum, quo, erumpentibus repente flammis, absumti (sic) periere Aaronis liberi, ausi profanum altari inferre ignem, quis jam credat, eos simile incendium evasuros, qui tentant *peregrinas* in Ecclesiam *quœstiones* protrudere. Ecclesia disputare concedit et approbat, ut prodita interpreteris et explices, negat et damnat, ut abdita, arcana scruteris[1] ».

Sunt verba clara, Ecclesia est magistrix, doctrix infallibilis, siquidem concedit disputare et approbat ut interpretentur et explicentur prodita, negat et damnat ut abdita et arcana scrutentur. Quod aliud munus est doctoris ? ...

Ecclesia est conservatrix veritatis : « Ecclesia est, quam perfecta veritas perficit. Ecclesia credentium magna est, ejusque sinus amplissimus, duorum Testamentorum *plenitudinem* capit : cisternœ quassatœ reprehensœ sunt quod aquas continere non possunt. Utres veteres sua novitate vinum scidit, et novos sua acerbitate disrupit ... Salve Ecclesia, *quam verœ doctrinœ corpus* lœtificat, in quo mirabilem videre est memborum constitutionem, dogmatum integritatem, promissionum fidem, *triumphorum coronas. Format sublime caput veritas,* exhibent genuina Testamenta munificas et liberales manus, Apostoli sensus componunt rerum nuncios, cœtera implent viri sancti, justi et prophetœ... Ecclesia ipsorum (nempe hœritici) scripturas ex toto, et usquequoque rejecit, qamlibet illi scripturis apud Ipsam depositis se credere testentur[2] ». Et alibi ita dicit : « Près du puits, Rébecca accepte les bijoux pour ses mains et ses oreilles. La fiancée du Christ reçoit aussi ses bijoux du fond des eaux. Dans ses mains elle porte le corps vivant

(1) Assemani, III, Syriace et latine pag, 18. C.
(2) Assemani, II. s. l. p. 442 B. F. et 441. D.

du Christ et dans ses oreilles elle *conserve les promesses de la vie éternelle*[1] ». Est descriptio omnino pulchra : S. Ephrœm, ex vehementi amore elatus, exclamat : Salve Ecclesia, quam *corpus veroe doctrinoe* lœtificat, in quo corpore videri potest *mirabilis constitutio membrorum*, *integritas dogmatum*, *fides* promissionum, et *coronoe triumphorum* ; sed veritas quodnam fungitur munus? Veritas format sublime caput istius corporis. Ecclesia est corpus cujus caput est veritas. Ecclesia est quœ *conservat promissiones vitoe oeternoe*. Ad aliud iter faciamus :

Ecclesia est vendicatrix veritatis: « O Te beatam Christi Ecclesiam! integram et labe purgatam te prœdicant omnium ora gentium. Tu sordes et lutum Marcionis *eluisti*, et dissipasti flagitiosas et impias Manethis opiniones : Tu spurcissimi Bardessanis putida mendacia, atque judaïcœ culinœ nidorem *diluisti* : Tuum Dominus tuus imperium amplificet, ac remuneretur fidem. Quod *nec insani illius Marcionis retines neque deliri Manethis scripta volutas, aut codicem execrandoe* mystagogiœ Bardesanis *habes* : genuina dumtaxat Testamenta, Regis, Regisque filii, tua recondit arca[2] ».

Quid melius dici poterat ?... Quid vehementius ?... Quid efficacius ?... Contra omnes hœreticos vindicat veritatem.

Ecelesia est distributrix veritatis et gratioe: « Magna nostra Ecclesia ubique locorum celebrat festa et solemnitates, quia Dominus firmavit ejus fundamenta et in sanguine suo eam fundavit ; deinde elevatus est... Quare facta est asylus omnibus peccatoribus, usque ad fines terrœ *fonsque* unde *profluunt omnes condonationes*[3] ». in hoc testimonio optime conjunguntur gratia et veritas et quomodo Ecclesia eas distribuit peccatoribus omnibus quorum est asylus ; quid in asylo agitur ? ... ibi curantur infirmitates omnis generis, ita fit in Ecclesia quam S. Ephrœm vocat asylum, in quo curantur

---

(1) Rahmani, « Lettre pastorale » p. 11 — cf. Overbeck p. 30 ubi inter alia dicit S. Ephrœm : « Les recherches n'aboutissent point et ne donnent pas le repos ». (cf. Tixeront) nempe inutile est quœrere veritatem, extra Ecclesiam et S. Scripturam, imo nocivum est.

(2) Assemani, II. s. I. p. 560 B.

(3) Lamy, I, p, 353 et 358.

infirmitates spirituales, sunt abcœcati mente qui lumine veritatis indigent, et sunt etiam obœcati corde qui lumine gratiœ irradiari debent, et tot aliœ infirmitates quœ ab Ecclesia sola curari possunt, nam ipsa sola est *fons omnium condonationum.*

Tertio : Ecclesia indefectibilis est, a Christo accepit potestatem solvendi et ligandi, portoe inferi non proevalebunt adversus eam.

Diaconus Edessenus docet Ecclesiam esse indefectibilem, tamdiu manere debere quamdiu manebit mundus, vel unus solus homo super terram, usque ad consummationem sœculi ; fulgidam spem suam esse Christum a quo accepit potestatem solvendi et ligandi super terram et in cœlo, necnon vinctricem stare mali i. e. vis infernœ vel aliis verbis portas inferi non prevalere adversus eam. Legamus nunc S. Doctorem :

« Maria illud (unguentum) effudit in caput et a labiis collegit fructum : « Hoc quippe erit ei nomen et memoria ubicumque annunciatum fuerit meum Evangelium[1] ». Quod igitur Maria accepit a Domino transire poterit in *omnes generationes* quin unquam impediatur[2] ». « Ecclesia omnem accepit potestatem ligandi atque solvendi in cœlo. Sponsus dedit ei claves portarum cœli et terrœ. Dominus, sponsœ suœ tradidit omne quod habebat eamque suis thesauris prœfecit...[3] ». « Beata es Ecclesia, quia in convivio tuo... dœmones tristitia operiuntur ; Sponsus cœlestis dedit tibi corpus suum, quo filii tui sanctificantur et a malo (i. e. dœmone) servantur, ipse autem reprimit eum qui te odit et continuo tibi invidet. Beata es, Ecclesia, quia rex... in die mortis vitam tibi largitus est; beata es quia ad altissima te elevavit et *confusione operuit malum*, qui vult perditionem tuam, ut liberos tuos liberare[4] », tandem ultimum testimonium : « Innixi in veritate, fratres mei, *ne timeatis ne quaquam* enim *viribus destititus* est Dominus noster ut nos derelinquat in tentationibus. Virtus quœ in eo est sustinet terram

(1) Math. XXVI. 13 differt a versione simplici.

(2) Lamy I. p. 257.

(3) ibid. p. 358.

(4) Lamy IV p. 584.

creatam ejusque habitatores. *In eo sustinetur spes Ecclesioe.* Quis potest abscindere radices ejus cœlestes? Benedictus qui demisit virtutem suam eamque infudit in ecclesiis suis. Constituite vobis, fratres mei, thesaurum consolationis e verbo Domini nostri de Ecclesia sua dicto: *Non possunt portoe* inferi vincere eam[1]. Si igitur *inferno fortior est, quis mortalium potest* terrere eam?

Extendite igitur manus vestras ad ramum veritatis; *brachiis fortium restitit* et non potuerunt eum incurvare, ille inclinavit altitudinem suam, descendit in agonem et probavit veros ipsi adhœrentes; ceciderunt autem et lapsi sunt qui rebus adhœrebant. Benedictus qui inclinavit Ecclesiam suam ut eam triumphis erigeret[2] ».

Quanta vehementia in his verbis! et simul quam pulchra doctrina et sana?... Asserit indefectilibitatem Ecclesiœ in existendo et in essendo, in existendo nam dicit de Maria « Quod accepit a Domino transire poterit in omnes generationes quin unquam impediatur ». Quid autem Maria a Christo acceperat? hoc sane quod nomen ejus extendetur ubicumque Evangelium Christi perveniet, et cum Evangelio habetur Ecclesia quœ transire debet ad omnes generationes, et etiam S. Ephrœm dicit Ecclesiam accepisse potestatem ligandi atque solvendi, Ergo tamdiu remanere debet, quamdiu erunt homines super terram, aliis verbis usque ad consummationem sœculi; S. Ephrœm asserit etiam indefectibilitatem in essendo nempe in eadem substantiali constitutione, et hoc est consectarium indefectibilitatis in existendo, nam eadem, Ecclesia remanere debet, si autem mutaretur in substantia non esset eadem Ecclesia. Ista Ecclesia vincit infernum, nulla potestas contra eam stare audet. « Si *igitur inferno fortior est, quis mortalium potest terrere eam* »?

Nunc videamus quid sentiat S. Doctor de iis quœ requiruntur ut quis sit de Ecclesia.

---

(1) Math. XVI. 18 differt a Peschitto, cfr. C. Burkitt, S. Ephraim's quotations from the gospel. Cambridge, 1901 p. 30.

(2) Lamy IV, p. 674.

Appendix : Quoe requiruntur ut quis sit de Ecclesia.

Juxta doctrinam catholicam, ut quis sit membrum Ecclesiœ requiritur baptismus cujus effectus non impediuntur amissione *unitatis fidei* et *communionis.* Hoc idem affirmat Diaconus Edessenus dicens : « ... Tunc, Christi amatores, requiretur in singulis christianis *Baptismatis* sigillum, quod in *Ecclesia catholica* accepere, exigeturque ab unoquoque *fides integra,* sigillumque illibatum, et tunica incoinquinata, et pulchra illa confessio, quam coram multis testibus professus est dicens : abrenuncio satanœ, et omnibus operibus ejus : non uni aut duobus, aut quinque, sed omnibus operibus diaboli...[1] ». Est sermo de 2° adventu Domini, in quo sermone S. Ephrœm dicit quod in illa hora, coram tribunal Christi, ut quis regnum cœlorum ingrediatur, requiritur *baptismus* qui accipitur in Ecclesia catholica, sed non solum baptismus immo etiam fides eaque integra, nempe unitas fidei non debet amitti per hœresim ; sigillum illibatum et tunica incoinquinata referuntur ad fidem integram et sunt constitutiva justitiœ ; et unitas communionis non debet amitti per *schisma* et *excommunicationem*, quod significatur a S. Ephrœm quando dicit « *Pulchra illa confessio* ».

Igitur S. Ephrœm clare affirmat quod ut quis sit membrum Ecclesiœ requiritur baptismus cujus effectus non impediuntur amissione unitatis fidei per hœresim, et *communionis* per *schisma* et *excommunicationis* ; non solum sed alludit ad eos qui pertinent ad *animan* et ad *corpus* Ecclesiœ, quod tamen in sequenti testimonio melius exprimit dicens :

« ... Tu porro, o homo, quum extra Christi corpus sis, si intra quoque spiritum ipsius es, perfectus homo Christi es. Quoniam vir, qui non accepit baptisma, similis est domui cuidam prœparatœ quidem Regi, quam tamen nullatenus Rex habitavit...[2] » Ex his verbis deducere possumus S. Diaconum asserere illum esse perfectum hominem qui est intra corpus et animam Ecclesiœ, et quid aliud est hoc quam asserere omnes et solos justos ad animam Ecclesiœ pertinere sicut doctrina orthodoxa nunc asserit ? et etiam asserit

(1) Assemani, II, g. l. pag. 216 F.

(2) Assemani, II, g. l. pag. 244.

S. Ephrœm illum qui baptismum non acceperit, non esse in Corpore Ecclesiœ, non esse membrum Ecclesiœ. Est omino sana et orthodoxa doctrina — et ita concludimus hanc primam partem dicentes S. Doctorem optime ostendit !

Primo : Transitus de synagoga ad Ecclesiam.

1° *Typos figurasque Veteris Testamenti fuisse ordinatos ad Novum, synagogam abolitam fuisse statim ac orta fuit Ecclesia.*

2° *Christum antytipum venisse et instituisse Ecclesiam.*

3° *Christum constituisse suam Ecclesiam per apostolos.*

4° *Christum maximo amore prosecutum esse Ecclesiam.*

5° *Ecclesiam destinatam esse ut propagaretur ad fines terrarum omnesque populos ad eam venturos esse.*

Secundo : Notoe Ecclesioe.

1° *Sanctitatem.*

2° *Unitatem.*

3° *Apostolicitatem.*

4° *Catholicitatem.*

Tertio : Denominationes Ecclesioe.

1° *Ecclesiam esse sponsam Christi et domum Dei.*

2° *Doctricem, conservatricem, vindicatricem veritatis et distributricem veritatis et gratioe.*

3° *Indefectibilem, a Christo accepisse potestatem solvendi et ligandi, portas inferi non proevalituras esse adversus eam.*

Appendix : Quoe requiruntur ut quis sit de Ecclesia.

Fit quies, antequam ad aliam partem transeam, nam mihi videtur, patientia lectoris abusum esse, et jam audio eum, per os Ciceronis mihi dicere : « Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? » et ego : « Amice lector, nonne etiam Cicero dicit » o tempora ! ... O mores ! ... ?

Nonne etiam Dominus dixit « Per patientiam vestram possidetis animas vestras » ?

Quodnam pulchrius et utilius, imo magis necessarium ?

Illud Ciceronis, an illud Domini nostri ?

Ubi sapientia magis effulget, in antiquitate pagana an in novitate perpetua christiana ?

Tibi, relinquo judicium omne, amice lector.

PARS SECUNDA

DE HIERARCHIA IN SPECIE

In hac secunda parte, videbimus quomodo Doctor nisibenus loquitur de *Hierarchia in specie*, nam in prima parte vidimus doctrinam ejus circa conceptum *genericum* Ecclesiœ Christi. Considerabimus :

Primo : *De Petro atque ejus primatu.*

1° *Petro promittitur primatus, et datur ab ipso Christo.*

2° *Petrus est petra vera et fundamentum Ecclesioe, fons doctrinoe Salvatoris, hoeres thesaurorum Christi.*

3° *Petrus est caput discipulorum, custos gregis, atque infallibilis.*

4° *Petrus est principium sacerdotii, a quo sacerdotes accipiunt potestatem sanctificationis.*

Secundo : *De coeteris pastoribus.*

1° *De Episcopatu, presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu, et lectoratu.*

2° *Christus contulit apostolis et eorum successoribus potestatem clavium.*

Conclusio.

I — De Petro atque ejus primatu

Primo : Petro promittitur primatus et datur ab ipso Christo.

S. Ephrœm fuse loquitur de primatu Petri, ad sidera extollit illum. Habet omnia testimonia necessaria, sufficientia et superflua ad probandum primatum. Sed hic referre omnia, sane supervacuum erit imo tempus inutiliter terere, proinde prœcipua argumenta adducenda sunt, quœ clariori evidentia et majori vi probativa fulgent. Imprimis igitur S. Doctor contendit primatum fuisse promissum Petro et deinde nobis eum reprœsentat Petro datum et hoc clarissimo modo uti nobis fas est videre :

« Dixit Simon : Domine bonum est nos hic esse[1]. Quid dicis, O Simon ? ... Si hic remanserimus, chirographum Adœ quis scindet ? ejusque debitum quis persolvet ? ... Si hic manserimus, *quoe dixi tibi, quo pacto fient ?* ... Ecclesia quo pacto œdificabitur ? Claves regni cœlorum quo pacto a me accipies[2] quem ligabis ? quem solves ? Si hic manserimus cessabunt cuncta quœ per prophetas dicta sunt...[3] » Quid aliud exprimit hoc testimonium nisi quod Christus jam promiserat Petro eum constituturum esse caput Ecclesiœ quœ œdificabitur, in toto testimonio hoc supponit « quœ dixi tibi, quo pacto fient ? Ecclesia quo pacto œdificabitur ? ... Quem ligabis, quem solves » ? ... constanter alludit ad matheum 16, prœcise ibi habentur verba promissionis primatus « Tu es Petrus et super hanc petram œdificabo Ecclesiam meam... ». Audiamus aliud testimonium in qno Petrus ipse asserit Christum ei promisisse se Ecclesiam suam super eum œdificaturum esse. En verba S. Ephrœm: « Vœ mihi, clamabat Petrus in atrio domus Caïphœ, alienus factus sum a Filio, quia abnegavi eum ; Petrum me vocaverat et factus sum ipsi arena ; Ecclesiam autem[4] suam non œdificabit super arenam, ego memetipsum everti ».

---

(1) Math. 17.

(2) Math. 16.

(3) Assemani II, g. l. p. 44.45.

(4) Lamy IV. p. 738.

In hoc testimonio S. Ephrœm nobis ostendit S. Petrum conscientiam habere de promissione a Christo ei facta. Petrus, flens culpam suam, nempe abnegationem Christi, exclamat : Vœ mihi!... *Petrum* me vocaverat Magister et ego factus sum ei *arena*, sed *Ecclesiam suam* non *oedificabit super arenam*. Sunt verba pulcherrima.

Hoc dicto de promissione primatus, videamus quid dicit S. Ephrœm de collatione primatus. Sunt hœc verba ejus :

« Gregis Dominus qui factus est cibi particeps *una cum pastoribus suum tradidit* gregem Simoni qui, ipsi obœdiebat[1]. Eidem verba dixerit *semel*, iterum atque *tertio* ut maximam gregis vigilantiam illi inculcaret. *Ab illo* pastore (constituto) suscepit tria pignora, quod nempe *is suos agnos amore recturus erat, arietes benevolentia visitaturus ovesque in ipsius timore* servaturus[2] ». Et paulo antea hœc dixerat : « O te beatum, Simeon Petre, qui *tenes claves quas Spiritus Sanctus conflavit* Magnum atque ineffabile est dictum illud, quo tibi *concessa fuit supra et infra ligandi solvendique* virtus. O beatos et greges tibi traditos ! quam aucti sunt ex eo quod super aquas infixisti crucem[3], cujus dilectione flagrantes oves ecce pariunt cujuslibet speciei natos virgines sanctosque ! O te beatum, qui veluti *caput* atque *lingua extitisti corpori* fratrum tuorum ! Corpus equidem istud componebatur ex discipulis, filiique Zebedœi ei tanquam duo oculi inerant. O ambos illos beatos, qui proposuerunt a Magistro thronos, postquam ipsius thronum adspexerint! Attamen revelatio a Patre audita fuit per Simeonem, qui est petra inconcussa ! ![4].

In his omnibus testimoniis optime elucet mens S. Ephrœm, habet optimam explanationem in Joannem 21 ubi habentur verba de collatione primatus. Quid amplius desideramus ?... optime dicit: Dominus Gregis, *una cum pastoribus tradidit gregem Simoni... tria*

---

(1) Notandum porro nomen « Simon » et verbum « Obedire » apud syros unam radicem habere « *Shemāh* ».

(2) Rahmani « Hym. de virginitate » Hymnus 36. p. 104.

(3) Est allusio ad ritum baptismi, proprium Ecclesiœ Syrorum.

(4) Rahmani, « Hym. de virg. » p. 45.

pignora suscepit ab ipso, subintelligens triplicem quoestionem christi: amasme plus his? ... Notandum est quod commemorat « Agnos, arietes et oves ». dum in grœco habetur « agni, oviculœ, oves » et in latino « agni, agni et oves ». Aperte et clare vocat Petrum *caput* et *linquam corporis discipulorum*, et *petram inconcussam* et alibi ita dicit :

« Oleum flamma sua illuminat et Christus per Simonem illuminavit orbem[1] » et adhuc : « Christo propria equidem insidebat virtus ambulandi super undarum fluctus ; lucernœ flamma autem per oleum innatat aquis, similisque est Simeoni, cui Dominus tribuit potestatem incedendi super fluctus. Oleum educit lucem quam fere obruunt aquœ et prope est ut extinguatur, Christus vero eumdem Simeonem ex aquis sustulit. Oleum per lucernam domum illuminat ; Simeon orbem terrarum illustravit[2] ». ad quid S. Ephrœm vocat Petrum caput, linguam discipulorum et petram inconcussam ? ... Cur dicit quod *Simeon illuminavit et illustravit* orbem terrarum ? ...

Quid vult per hœc omnia ? sane nihil aliud quam velle exprimere Petrum a Christo constitutum esse caput Ecclesiœ et Vicarium ejus ad administrandam totam Ecclesiam, necnon docendam. Sequens testimonium ostendit quomodo Petrus intrat ante Joannem in sepulcro :

« ... Quum advenit Simon, Joannes jam aderat qui intus inspiciens vidit linteamina in loco reposita et corpus Jesu non amplius ibi esse. Illic autem *consistens* in *monumentum non ingressus* est, donec *advenit Simon* qui videns monumentum apertum ingressus est primus et vidit ibi... Tunc ingressus est etiam Joannes et vidit idem ac Simon ut ambo testes essent Evangelii quando prœdicaretur[3] ». Apparet ergo primatus Petri, qui *ingreditur sepulcrum primus* et quem Joannes exspectat. Sunt verba clara.

Postquam solide demonstratum est Petro promissum fuisse et da-

---

(1) Lamy IV, p. 726.

(2) Rahmani, op. cit. p. 15.

(3) Lamy I, p. 536.

tum primatum nunc videndum nobis est cœtera quœ S. Doctor asserit de Petro.

Secundo : Petrus est petra vera et fundamentum Ecclesioe, fons docrinoe salvatoris, hoeres thesaurorum Christi.

Audiamus S. Diaconum Edessenum :

« ... Benedictus qui gaudio affecit Ecclesiam et Mariam. Mariœ nomine Ecclesiam appellamus, duplici enim nomine digna est. *Maria ad Simonem fundamentum cucurrit,* prius et ei *tanquam Ecclesioe* nuntiavit narravitque quod viderat nempe Dominum resurrexisse. Recte ad Simonem allatum est nuntium quia Filius resurrexit, quia ipse erat petra et fundamentum electœ gentium Ecclesiœ. Maria igitur cucurrit et nuntium tulit desideratis Simoni, Petrœ verœ, et Joanni... [1] ».

Quid melius dici poterat ? ... Paucis verbis, magna et fundamentalis veritas continetur, Petrum scilicet esse verum fundamentum veramque petram electœ Ecclesiœ gentium, ipsumque reprœsentare totam Ecclesiam, quœ in eo personificatur, siquidem caput totius Ecclesiœ. Aliud testimonium :

« ... Tu es caput fontis a quo hauritur doctrina mea, ... Te elegi ut sis in mea institutione velut primogenitus et hœres efficiaris thesaurorum Meorum [2] ». Sanctus Ephrœm ponit hœc verba in ore Christi ad Simonem Petrum et ostendit S. Petrum esse fontem doctrinœ Salvatoris et hœredem thesaurorum Christi. Sunt verba omnino lucidissima.

Tertio : Petrus est caput discipulorum, custos gregis, atque infallibilis.

In sermone S. Ephrœmi adversus hœreses, hœc verba legimus : « Quid multis ? cum hœc sola contaminatissimorum hominum commemoratio talium conventuum dedecus et infamiam abunde

---

(1) Lamy I, p. 532 - 534.

(2) Lamy I, p. 412.

declaret. Adeone, nec apostoli reveriti sunt sententiam damnantis dicentis : Ego sum Cephœ ? Quod si nomen Cephœ, oves recusare debuerunt, tamen si apostolorum is esset Princeps, et clavium potestatem accepisset, gregisque pastor haberetur, qua execratione quam dira dignus censendus sit, qui oves non suos suo nomine nuncupare minime veretur ?[1] » Apparet ex his verbis, *Petrum* esse *Principem vel caput apostolorum et pastorem gregis ejusque custos.* Sequens testimonium est omino pulchrum et laude dignum. Habetur in sermone ad stationem noctis feriœ quintœ Hebdomadœ Passionis audiamus illud :

« Postquam Simon obtemperasset Jesu pedesque prœbuisset et ablutus fuisset, reassumpsit Dominus vestimenta sua, et, cœna perdurante, iterum accubuit, Recumbentibus simul omnibus dixit Jesus : « Sciatis volo cur hoc faciam[2] ». Si non explicavero mea mysteria, quis percipiet ? si non implevero typos, quis cognoscet meam voluntatem ? necesse est ut efficiam omnia quœ prophetœ dixerunt de me ; decet me vobis fieri sapientiœ magistrum. Simon discipule mi, *ego te constitui fundamentum Ecclesioe sanctoe, petram vocavi te*[3] *antea quia tu sustinebis totum meum oedificium* ; *tu es inspector eorum* qui œdificant mihi Ecclesiam in terris ; si quid reprobum œdificare velint, *tu fundamentum reprimas eos* ; *tu es caput fontis a quo hauritur doctrina mea, tu es caput discipulorum meorum* ; *per te omnes gentes potabo* ; tui est suavitas illa vivifica quam largior ; *te elegi ut sis* in mea institutione *primo*-genitus et hœres *efficiaris thesaurorum meorum* ; *claves requi mei* dedi tibi. Ecce principem te constitui super omnes meos thesauros[4] ». In hoc testimonio S, Ephrœm optime demonstrat Petrum constitutum esse fundamentum Ecclesiœ ab ipso Cbristo, fundamentum sane quod debet sustinere totum œdificium. Clorissimis verbis S. Ephrœm S. Petrum infallibitem esse debere asserit, nam dicit quod Christus ipse, Petro dixit eum esse inspectorem eum debere reprimere eos qui velint œdificare reprobum quid, eum esse caput fontis doc-

---

(1) Assemani, II s. l. p. 559.

(2) Joan. XIII. 12.

(3) Kefa : Kifo : Cephas id est Petra et Petrus.

(4) Lamy, I p. 410-412 cf. etiam « Université Catholique » IV. 171.172.

trinœ suœ per eum se pototurum omnes gentes, eum esse velut primogenitum in institutione sua, et tandem eum esse principem omnium thesaurorum suorum et claves regni se ei dedisse atqui ille qui debet sustlnere totum œdificium, qui dehet esse inspector, qui debet reprimere, qui est caput *fontis doctrinoe*, ille per quem *potabuntur omnss gentes*; qui est *primogenitus*, *hoeres*, et *princeps* thesaurorum Christi et in manu tenet claves regni, ille, dico nonne infaillibilis esss debet ? Si infaillibilis non est, ruit tota Christi institutio, si pastor in errorem ducit gregem, vana est promissio Christi « Ego vobiscum snm usque ad consummationem sœculi » et illud « Portœ inferi non prœvalebunt adversus eam ».

Si fundamentum soliditate caret, quid de toto œdificio ?... Si inspector errat quid de subditis ?... Minime sane, fundamentum super petram situm est, eamque inconcussam. Minime gentium, inspector errare non potest. Verba Christi usque ad consummationem sœculi verificabuntur. Notemus bene, est Christus qui loquitur ad Petrum directe, sunt solemmissima verba quœ S. Doctor ponit in ore Christi, Quam alta, pulchra atque magna doctrina continetnr in istis lineis ! est veritas fundamentalis infallibilitatis Romani Pontificis cur non dicam Christum ipsum Petro dixisse : *Esto infallibilis*, nam idem dicit, mutalis verbis ; mandatum dat Petro, dicens ei : *Tu es inspector... reprimas... tu es fons doctrinoe... caput discipulorum... per te omnes gentes potabo... te elegi ut sis in mea institutione velut primogenitus et hœres efficiuris thesanrorum meorum... claves regni dedi tibi... ecce principem te constitui super omnes thesauros meos.* Hinc Patet etiam quod infallibilitas Petri est ab ipso Christo collata non solum Petro sed omnibus successoribus ejus, nam, sicut vidimus, S. Ephrœm asserit Ecclesiœ indefectibilitatem, hoc est, tamdiu durabit quamdiu durabit mundus juxta verba Christi « Ego vobiscum sum usque ad consummationem sœculi ». Ergo Ecclesia est duratura, sed Petrus est fundamentum Ecctesiœ, si primatus Petri debet extingui vel aliis verbis si fundamentum deleri debeat, tunc actum esset de œdificio. Atqui œdificium remanere debet nempe Ecclesia est indefectibilis, ergo etiam fundamentum, immo potius fundamentum debet remanere ad sustinendum œdificium, id est, Petrus permanere debet in suis successoribus, hinc Romanus Pontifex est infallibilis.

Videamus nunc alia testimonia pro Primatu et infallibilitate Petri, nam est quœstio magni momenti et maximœ notœ, in diebus nostris : « Quod facio tu necis[1], dixit Magister discipulo ; occultum nunc hoc est et non intelligis, « scies autem postea ». Sine, Simon, ut lavem te, hoc tibi valde proficuum est ; doceo te humilitatem ut *alios doceas* ; *meum te constituo apostolum...*[2] ».

Hœc verba probant Petri infallibilitatem et primatum, nam « alios docere debet » et ille qui docet debet scire et scire infallibiliter' alioquin actum est de scientia, si qui docere debent, errant ; et constituitur apostolus specialis Christi qui dicit ei « meum te constituo apostolum ». ad quid hoc? Nonne omnes apostoli Christi erant disciouli et omnes simul mandatum habebant docendi sicut infra videbimus ? Quid novi Christus Petro nuntiabat ? ... Sane gaudium magnum ei nuntiabat ei dicebat : utique omnes vos duodecim, apostoli mei estis, sed tu, o Petre, tu es caput horum apostolorum, tu debes docere et sustinere in fide fratres, tibi munus incumbit regere et gubernare. Hinc necessitas exoritur primatus et infallibilitatis in rectore, gubernatore et doctore. Adhuc aliud testimonium :

« Virgis cœdatur sponsa odiosa, propter electionem a Primo-genito amata. Ecce mœsta aspicit filiam Regis. cujus cubicularius est Simon Cepha. Simonis umbra quo in loco cadit illic lapsos excitat ; claves spirituales sunt cœlestes Cephœ thesauri et duo testamenta opus ejus[3] ».

Quid dicunt hœc verba ? ... dicunt Simonem Cepham (proprie nomen quod acceperat a Christo quando habuit promissionem primatus) esse *cubicularium* filiœ Regis nempe Ecclesiœ, *clavesque* esse *thesauros* ipsius et duo testamenta *opus ejus*. Quid sibi vult illud « opus ejus » non quod ipse confecerit duo testamenta, sed proculdubio quod ipse habet *custodiam S. Scripturœ*, cujus est *administrator et dispensator*, aliis verbis Petrus habet custodiam veri-

---

(1) Jean. XIII. 7 agitur de lotione pedum.

(2) Lamy, I. p. 396.

(3) Lamy, III, p. 962.

tatis, hinc apparet infallibilitatis necessitas in custode et primatus in cubicubario Ecclesiœ[1].

Tandem ultimum testimonium et satis nobis erit de Petri infallibilate et primatu :

« Simon gaudebit se retia projecisse ad piscationem et pisces vivos ad mortem collegisse. Jonas affligebatur se retia projecisse et millia mortuorum collegisse ad vitam. Simon audivit illum qui dicebat ei : quia piscasti ad mortem doceas ad vitam. O qui cepisti pisces qui manducarentur, cape gentes ut non manducentur[2] ».

Ergo Petrus debet esse infallibilis in veritate proponenda, ex eo quod *docere debet ad vitam*, non autem ad mortem ; si vero ad mortem, vana et contradictoria essent verba Christi, quod omnino repugnat. Et cur Petrus speciali modo docere debet ad vitam et gentes capere ? ... quia Petrus caput est Ecclesiœ et primatum habet et est infallibilis, propterea hominum est piscator ; in memoriam nunc revoco illam retem quœ ad januam S. Petri Basilicœ appenditur, die solemnitatis festi ejus.

Igitur ad quid tot tantaque attributa et prœrogativa a S. Ephrœm Petro applicata ? Vocat eum cubicularium filiœ Regis, inspectorem, primogenitum. hœredem, principem thesauri, caput discipulorum, fundamentum, petram, caput et linguam corporis discipulorum etc. etc. etc... Ad quid hœc omnia ? Responsio unica est et alia excogitari nequit. Quia est caput et lingua Petrus : Caput pro primatu et lingua pro infallibilitate.

Quarto : *Petrus est principinm Sacerdotii, a quo Sacerdotes accipiunt potestatem sanctificationis* ; En verba ejus :

« Centum et quinquaginta pisces e mare traxit rete Petri[3]. Ex aquis

---

(1) Lamy, IV p. 634.

(2) Nam Petrus est Vicarius Christi qui erat centralis connectio Vetus inter et Novum Testamentum ; propterea habet jus illustrandi centralem illam connectionem. Quomodo hoc facere potest, si infallibilis non est in S. Scriptura exponenda ? ... Quapropter ipse custodiam S. Scripturœ habet.

(3) Joan. XXI. 11.

baptismi rete ejus prœdicationis, eductœ sunt myriades hominum qui irreti fuerunt in regnum Dei. Ecce Sacerdos noster velut piscator stat ad exiguas aquas fecit ex eis capturam magnam omnis generis et conditionis, extraxit pisces eosque obtulit supremo regum regi. Apprehendit Simon captos pisces eosque protulit coram Domino. Sacerdos noster per potestatem a Petro acceptam assumpsit virgines et innoxios eosque in festa obtulit Domino festi[1] ». Hoc dicit S. Diaconus Edessenus in suis hymnis in festum Epiphaniœ. Et in suo sermone de Domino nostro, de prœsentatione ejus ad temphum per manus Simeonis hœc alia habet : « Tunc accepit Maria suum primogenitum exterius quidem pannis, interius vero prophetia et sacerdotio involutum, et abiit. Quod igitur a Moyse traditum fuerat et a Simeone acceptum remansit in possessione Domini utriusque doni. Œconomus prior et thesaurarius posterior tradiderunt claves sacerdotii, et prophetiœ prœfecto utriusque istius thesauri. Idcirco Pater ejus absque mensura dedit ei spiritum ut pro potestate sibi facta charismata spiritualis largiretur. Ut autem ostenderet Dominus se claves accepisse a prœcedentibus œconomis dixit Simoni : « Tibi dabo claves portarum[2] » Quomodo autem tradidisset eas si ipse non accepissel ? Claves itaque a Simeone sacerdote acceptas altert Simeoni[3] Apostolo scilicet, tradidit, ut si non audierit populus priorem Simeonem, audiant populi Simeonem posteriorem[4] ».

Ex his verbis, deducere possumus ergo jure meritoque quod Petrus est principium Sacerdotii, eo quod S. Ephrœm asserit Christum tradidisse Petro quod acceperat a Moyse et Simeone hoc est prophetiam et sacerdotium : et ab ipso Petro sacerdotes accipiunt sanctificationis potestatem, nempe Petrus est princfpium, fonsque sanctificationis et sacerdotes ab ipso accipiunt, et hoc ettam clare asseritur a Doctore Nisibeno quando dicit « Sacerdos noster per potestatem a Petro acceptam assumpsit virgines et innoxios eosque in festo obtulit Domino festi » per quœ verba significatur munus

(1) Lamy I, p. 72-74.

(2) Math. XVI. 19.

(3) Simeon atque Simon, nonnisi unum idemque nomen constituunt apud Syros « » : « Shem'hun ».

(4) Lamy, I p. 268.

sanctificationis sacerdotibus incumbens, qui debent virgines et innoxios assumere eosque Domino offerre, uno verbo *sanctificare* debent alios.

Hœc satis sufficiunt de Petro ; quid S. Doctor de cœteris pastoribus sentiat, nobis remanet videndum.

II — De cœteris pastoribus

Primo : De Episcopatu, presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu et *lectoratu.*

S. Diaconus Edessenus admittit tres ordines magnimomenti et duos alteros minoris momenti. En verba ejus : « Interrogantur Pastores, idest, Episcopi, et de *propria administratione* et de *eorum grege.* Et reposcitur unusquisque de rationalibus ovibus, quas suscepit a Christo Pastorum Principe. Si vero ex negligentia Episcopi ovis perierit, sanguis ejus ex manibus illius exquiritur. Similiter et Presbyteri rationem reddent de propria Ecclesia, simul etiam Diaconi et quisque Fidelis de domo sua, de uxore, de filiis, servis et ancillis[1] reddet rationem, an educaverit eos in disciplina et correptione Domini, sicut hortatur apostolus[2] ». ... Et alibi : « In illa hora commovebuntur omnes hominum ordines, *Pondifices* et Sacerdotes et Diaconi et omnes Ecclesiœ ordines, sicut ait Apostolus[3] : singuli resurgent in proprio ordine, ut dent gloriam Deo[4] ». et in altero loco : « Tunc separabuntur ab invicem, *Episcopi* a coepiscopis, *Presbyteri* a compresbyteris. Tunc separabuntur misera illa separatione, sacerdotes a sacerdotibus, Diaconi a condiaconis, Hypodiaconi[5] et Lectores a suis sociis[6] ».

---

(1) Ephes. 6.

(2) Assemani, II, g. l. p. 196.

(3) I ad Corinth. 15.

(4) Assemani, II g. l. p. 254.

(5) Id est Subdiaconi — est vox grœca usurpata etiam nunc apud Syros.

(6) Assem. ibid. p. 257.

Ex contextu igitur apparet tres primos ordines esse majoris momenti nam Episcopi constituuntur super gregem cujus sanguis ex manibus eorum exquiritur, et curam hanc gregis ab ipso Christo eam susceperunt proindeque sunt veri apostolorum successores sicut melius infra patebit ; et deinde Presbyteri habent ecclesiam, et Diaconi semper veniunt post presbyteros ; omni vice quod S. Ephrœm loquitur de episcopis et presbyteris, semper simul cum eis commemorat et diaconos, nam mihi videtur, in mente sua isti tres ordines collocantur a parte vel ex latere tanquam ordines majores. Quod autem commemorat presbyteros et sacerdotes, nulla exinde oritur difficultas, nam proculdubis est vox synonima ; in S. Scriptura, utique vox « Presbyteri » utitur aliquando pro « Episcopis » sed realiter distingunutur. Doctor noster autem optime distinguit dicendo « episcopos » et « presbyteros » et hos ultimos vocat etiam « sacerdotes », nam in secunda linea nihil aliud facit quam repetere, diversis verbis, quod dixerat in prima linea.

Prœter hos tres ordines S. Ephrœm commemorat duos alios ordines : subdiaconatum et lectoratum qui sunt minoris momenti, nam semper veniunt in fine, et etiam aliquando non commerantur nominatim sed dicitur « cœterique ordines » vel et « omnes Ecclesiœ ordines » sicut in testimonio supra allato[1]. Iste ordo hierarchicus commemoratur multis in locis, prœsertim in « Sermone S. Ephrœm in secundum adventum ». sic referam aliud testimonium et satis erit : « Quis adeo lapideus est, qui non flebit de hinc illam horam ; quando dividuntur Episcopi a coespiscopis, Presbyteri a compresbyteris et *Diaconi* a sociis diaconis, et *subdiaconi et lectores* a suis sodolibus...[2] ». Hic ordo semper servatur in omnibus textibus, est vere hierarchicus et maximi momenti, nam est ex quarto sœcolo.

Secundo : Christus contulit apostolis et eorum successoribus potestatem clavium.

Hic diaconus Edessenus loquitur clare de potestate quam christus contulit apostolis, remittendi atque retinendi peccata,

---

(1) imo sunt minoris momenti nam munus subdiaconorum et lectorum non apparet ex testimoniis S. Ephrœm, tam grave siquidem rationem non debent reddere de grege, sicut episcopi, vel de propria ecclesia sicut presbyteri quibus adjiciuntur Diaconi.

(2) Assemani II g. l. p. 200 — cf. etiam p. 219 et 275.

quœ quidem potestas non est transitura neque defectura. Audiamus verba ejus :

«Dominus noster confortavit apostolos suos apprecata voce, eosque exhilaravit et lœte eos allocutus est post significatam eis pacem[1] ». « *Sicut misit me* Pater, et fui in terris pereginus et adimplevi Moysen et prophetas, nihil ex eis imminuto, et mortuus sum et resurrexi, ita ego, quem hic videtis, nunc mitto vos. Accipite a me Spiritum sanctum ut repleamini spiritu et virtute ad remittenda hominibus peccata, *cujus enim remiseritis, remiitan ei, et cujus retinueritis peccata etiam apud me retenta sunt* ». Quod autem solveritis aut retinueritis, sic erit in cœlo ; nec verba vestra fallam sed in Spiritu loquimini justitiam. Accipite potestatem quœ non *transitura* est nec defectura, quia verbum vestrum confirmatum est. Non solvam dicta vestra, si irasceritis, irascar ego, si reconciliati fueritis, reconciliabor. Ecce claves regni ad lumbos vestros suspendo. Aperite et claudite cum œquitate, donec veniam in gloria[2]».

Ecce ergo maxima ista potestas, potestas clavium quam Christus dat apostolis suis et per quam Apostoli constituuntur judices infallibiles, solvere debent et ligare. Verba eorum erunt infallibilia siquidem in cœlo confirmata sunt « quod autem solveritis aut retinueritis, sic erit in cœlo, nec verba vestra fallam... non solvam dicta vestra... Ecce claves regni... aperite et claudite ». Maxima scatent evidentia verba Christi hœc ad apostolos. Hœc potestas « non transitura est nec defectura ». Ergo non extinguitur cum morte Apostolorum sed transmittitur ad Episcopos successores eorum. Quod vero episcopi successores sunt apostolorum, jam supra hoc affirmavit S. Doctor quando asserebat quod Episcopus unusquisque *reposcitur de rationalibus ovibus, quas suscepit a Christo Pastorum Principe...* quod interrogantur *episcopi* et de *propria administratione* et de eorum grege. Si igitur ex una parte apostoli habent hanc potestatem non transituram nec defecturam, hoc est quod debet transire *ad successores*, et ex *altera parte* episcopos vidimus hanc potestatem exercere, ita ut rationem, in die judicii, reddere debent de eorum grege et sanguis

---

(1) Joan. XX. 21 et seq.

(2) Lamy, I, p. 550.

ovis quœ ex negligentia episcopi perierit, ex manibus ejus exquiritur, concludere cogimur *episcopos esse veros apostolorum successores.*

Quis dicet : Christus eadem verba direxit Petro et apostolis. Hinc Potestas Petri et Apostolorum est omino eadem. Hinc ruit Primatus Petri.

Respondes dicendum : Christus locutus est una vice Petro solo et promisit ei primatum et contulit ; et secunda vice locutus est Christus omnibus apostolis simul cum Petro. Inde potestas apostolorum est etiam potestas Petri, sed Potestas Petri est propria Petro, mediante quo, ad successores transit. Per hanc potestatem Petrus constitutus fuit *caput* apostolorum et gregis, fundamentum Ecclesiœ, optima et simul elegantissimo modo S. Ephrœm vocat collegium apostolorum « *Corpus* » cujus *caput* et *lingua* est Simon Bar Jona Petrus, *caput* ad *primatum* significandum et *lingua* ad infallibilitatem indicandam ; nam quid caput et lingna in corpore agunt ? Caput est symbolum directionis et prœ eminentiœ. Lingua exprimit quod a capite cogitatur, est ergo symbolum doctrinœ. Nihil aliud est Petrus, est caput quia dirigit prœminetque, et est lingua quia est infallibilis in doctrina tradenda. Est fundamentum, proinde si ruat, potest-ne œdificium supra stare ? Quis mortalium unquam hoc excogitaverit ? Quis sanœ mentis vidit seorsim stare sine fundamento œdificium ? Sed vice versa œdificium ruere potest, quin fundamentum moveatur. Maximum ergo discrimen intercœdit inter Petrum et apostolos[1]. Nunc referam pauca verba pro infallibilitate apostolorum :

« Videns (Christus) discipulos viribus esse destitutos, egentes, pusillos atque ignaros, terram autem abundare doctis atque prœpotentibus viris, ecce per (miraculo comparatos) panem, pisces, atque ignem ipsos discipulos voluit suadendos docendosque, revelavitque per visible convivium futura. Velidelicet quod ille qui satietatem ejusmodi absque labore cumulavit, edocturus erat populos absque nummis per imperitos (discipulos) qui erant vasa

(1) Petrus erat infallibilis infallibilitate ordinaria, quœ transmittitur ad successores. Sed infallibilitas apostolorum, quoniam extraordinaria, non debebat transmitti, concessa fuerat ad initiandam Ecclesiam.

sapientiœ...[1] » « ... Duodecim egressi apostoli, orbem terrarum irretierunt, piscatique sunt reges ex crudelilatis pelago, servos ex cupidinis abyssu...[2] ». Et tandem alibi ita S. Ephrœm dicit : « Spiritus Sanctus vero armatos suscitavit prophetas, ut per verum fugaretur falsum coram oriente videlicet sole Christo, qui *duodecim radiis*, quos diffudit, errorem abolivit[3] ».

Apparet ex his verbis quomodo apostoli sunt etiam infallibiles, siquidem sunt vasa sapientœ, et edocere populos et *irretierunt orbem terrarum Christusque per eos duodecim radios, errorem abolivit.*

---

(1) Rahmani « Hymni de Virg. » p. 105.

(2) Rahmani, op. cit. p. 93.

(3) Ibid., p. 15.

CONCLUSIO

Post tot tantosque labores, defatigationes, ecce ad finem pervenimus, Ecce iterum immergimur in vigesimo sœculo postquam viximus in quarto. Quamnam invenimus differentiam vigesimum inter et quartum sœculum ? Quod ad rem nostram spectet, ad doctrinam nimirum de Ecclesia Christi, nullam, confiteor, invenio differentiam. Substantiallter ergo idem dogma immutabile remanet. Quod a Doctore nisibeno, Edessenoque Diacono S. Ephrœm asseritur, scilicet de institutione Ecclesiœ, de ejus notis, de Primatu Petri atque ejus infallibilitate et de hierarchia, uno verbo tota ejus doctrina de Christi Ecclesia, totum istud hodie repetitur atque exponitur a magisterio Ecclesiœ. Tota doctrina de Ecclesia eadem remanet hodie sicut tempore Doctoris Nisibeni. Utique decursu sœculorum, evolvitur doctrina in suis elementis, amplificatur in se ipsa, quin tamen mutetur.

Tandem, concludo per verba S. Ephrœm quœ leguntur in suo testamento apud Assemani, II g. l. p. **241**. Sunt utique verba pro Petro prolata, quasi S. Doctor, cum redderet spiritum, exprimere voluit fidem suam in Ecclesia, amoremque ejus vehementem erga caput Ecclesiœ, Christi Vicarium ; Applicemus ea Petri successori Pio XI feliciter regnanti : (et hodie Summo Pontifici Joanni XXIII) « Simon, exaudiat te Deus, quando rogaveris eum in orationibus tuis : et in supernam civitatem ingrediaris. Impleatur ipsius Ecclesia, sicut poculum mistum populorum desiderantium salvari. Veniant sponsœ in conspectum tuum, et inclusœ ad doctrinam tuam : quarum quidem sponsœ sunt matres ; reclusœ autem, tamquam sub jugo adversarii detinebantur : pro quibus Christus hœc liberavit. Audient ex te parabolas prudentiœ, et doctrinam vitœ per te recipient ex Spiritu Sancto, et salutem a te animarum consequentur. Et sicut sapiens medicus in parabola indigentium : ita in possessione percurrat auditus tuus ».

Nunc confiteor sine ulla veracundia quod feci, illud feci ad majorem Dei Gloriam, Ecclesiœque exaltationem et honorem, Sanctique Ephrœm laudem et tandem ad significandam meam erga professores gratitudinem ; ut omnes gaudeant de Christi victoria, regno atque imperio et de Ecclesiœ triumpho decursu sœculorum omnium, in memoriam revocantes illa apostoli verba ad Hebrœos :

« Jesus Christus Heri, et Hodie,
ipse et in sœcula ».

HYMNUS SANCTI EPHRŒMI DE PETRO

Relinquere non possum hymnum perpulcher qui est synthesis totius Doctrinœ S. Ephrœm de Primatu et Infallibilitate Petri quamvis ex parte aliquid citavi. In isto hymno revelatur totus S. Ephrœm, qualis vir generosus, nobilis, magnanimus, alta, magna et pulchra sentiens de Ecclesia, referam illum et totum ad litteram ; scriptum illum legimus in Lamy IV, p. 682. ita incipit :

1 — « Beatus es, Simon, caput discipulorum, quia Filius Dei beatum te dicit et œconomum thesauri sui te fecit et claves regni tibi tradidit, et potestatem tibi dedit super cœlestes suas divitias et ex amore introduxit in domum Patris sui et factus es amicus, propinquus et socius amatoris hominum.

1 — Beatus es, o tu, quem Filius Dei elegit et discipulis suis caput prœposuit cuique dedit virtutem et potestatem divinitus ligandi atque solvendi ; (alludit constanter ad Math. XVI. 15) ad januam thesauri sui te constituit ut administres divinas ejus divitias, in omnibus te magnificavit ; in cœlum et in terram extendit potestatem tuam.

3 — Beatus es, Simon, quia Pater, ex amore revelavit tibi mysterium Filii sui, quem nomine suo appellasti sicut fueras luminosis revelationibus edoctus ; reprobans multa illa diversaque nomina illa a Judœis imposita agnovisti eum esse Filium Dei vivi qui venit ad salutem nostram.

4 — Beatus es tu quem elegit Filius et pastorem gregi suo prœfecit ; interrogavit autem an ipsum amares ut pasceres sedulo oves ejus, porro eas pavisti et rexisti eas amore et tua veritate salvatus est grex redemptus. Beatus es, o pastor apostole et discipule, gloria illi qui elegit te.

5 — Beatus es Simon, qui accepisti claves a Spiritu Sancto fabricatas et pavisti oves Filii Dei ad fontem vita plenum ; beata Ecclesia quœ potu ejus refecta est, beati nati tui qui undis ejus inebriati sunt, beatus grex tuus pastor vere, qui sitit familiaritatem tuam.

6 — Beatus es tu, qui loco capturœ piscium homines capis ad vitam ; rete magnum est fides tua ; corpus in cruce mortuum totum

ess vita ; cruce omnes populi irretiti sunt ; in retibus Dei quœ ferebas congregati sunt, beate discipule, in eis crevit tua pulchritudo.

7 — Beatus es, o Petre, quia Filius Dei te posuit in fundamentum Ecclesiœ, ut portares pondus totius creaturœ sicut ipse portat totum mundum ; per veritatem confessionis tuœ sedabuntur tumentes contentionum doctorum fluctus. Sponsa audivit te et tecum confitetur quia Filius Dei est.

8 — Beatus es quia fuisti velut caput et lingua corpori fratrum tuorum, quod e discipulis compositum est ; filii zebedoei fuerunt tibi oculi ; beati ambo quod a magistro suo, viso ejus throno, thronos petierunt ; sed a Simone audita est revelatio facta a Patre, petra inconcussa...

9 — Beatus es, quia tibi locus datur ut sufferas et adjuves omnes humani generis ordines et velut proximus suscipias justos et peccatores, inter electos eximius es et strenuus ; inter peccatores abnegator insignis, socius lapsi Judœ ; quia pœnitentiam adhibiusti erigis eum qui lapsus est.

10 — Beatus es tu, quem ad se Dominus vocavit ambulans in via maris super fluctus (Math. XIV. 28 et seq.).

Ardor tui amoris rapuit te ut ires per viam a te nunquam tritam. navem relinquisti gaudens et cum lœtitia ad Dominum tuum cucurristi : Vocem pastoris oves audierunt et cucurrerunt in via non trita.

11 — Beatus es, o Simon, quia ex tuo amore fluctus contempsisti et via maris grata tibi fuit propter Dominum tuum qui erat ibi, sed tibi invidentes fluctus intumnuerunt et mare scissum est ut te immergeret ; elamasti ad salvatorem, respondit tibi et tendit manum in auxilium.

12 — Beatus es, o Simon, quia super te œdificata est Ecclesia, decora lucis sponsa, cui promisit Filius Dei portas inferi contra eam non prœvalituras. Inde ab initio exaltatum est caput sponsœ, mortem autem et ruinam spernit, in ea posita est crux, quœ vi sua invincibili spoliavit infernum ».

INDEX

Pagina

PARS PRIMA

Genericus conceptus Ecclesiœ juxta Sancti Ephrœmi doctrinam

I — Transitus de Synagoga ad Ecclesiam

Primo: S. Ephrœm ostendit typos figurasque V. Testamenti fuisse ordinatos ad Novum et Synagogam abolitam fuisse statim ac orta Ecclesia 9
Secundo: S. Ephrœm probare vult Christum antytipum venisse et instituisse Ecclesiam 11
Tertio: S. Doctor asserit christum suam Ecclesiam constituisse per apostolos 12
Quarto: Christus maximo amore prosecutus est Ecclesiam . . 14
Quinto: Ecclesia destinata est ut propagetur ad fines terrarum, omnesque populi ad eam venturi sunt. 15

II — De notis Ecclesiœ

Primo: De sanctitate 16
Secundo: De unitate. 17
Tertio: De Apostolicitate. 19
Quarto: De Catholicitate 20

III — De denominationibus Ecclesiœ

Primo: Ecclesia est sponsa Christi et domus Dei. 22
Secundo: Doctrix, conservatrix, vindicatrix veritatis ac distributrix veritatis et gratiœ 22
Tertio: Indefectibilis, a Christo accepit potestatem solvendi et ligandi, portœ iuferi non prœvalebunt adversus eam 25
Appendix: Quœ requiruntur ut quis sit de Ecclesia 27

PARS SECUNDA

De Hierarchia in specie

I — De Petro atque ejus primatu

Primo: Petro promittitur primatus et datur a Christo . . . 31
Secundo: Petrus est petra vera et fundamentum Ecclesiœ, fons doctrinœ salvatoris, hœres thesaurorum Christi 34
Tertio: Petrus est caput discipulorum, custos gregis, atque infallibilis 34
Quarto: Petrus est principium Sacerdotii, a quo Sacerdotes accipiunt potestatem sanctificationis 38

II — De cœteris pastoribus

Primo: De episcopatu, presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu et lectoratu 40
Secundo: Christus contulit apostolis et eorum sucessoribus potestatem clavium 41
Conclusio 45
Hymnus sancti Ephrœmi de Petro. 46



ܡܪܝ ܐܦܪܝܡ

ܡܠܦܢܐ ܕܥܕܬܐ ܡܕܝܢܬܐ

مار افرام السرياني ملفان الكنيسة الجامعة

Sanctus Doctor Ephrœm Syrus

IMP. ST. PAUL
HARISSA - LIBAN